

# Os distortum pallidum

Postquam tres investigatores nonnulla dulcia soccolata atque glaciem vanillatam cenaverunt, rubro vehiculo Petri notae MG ad scrutarium reverterunt. Quamquam investigator alter vehiculum in umbra deponere conatus erat, ardor in interiore vehiculi vix tolerabilis erat. Justus gemens scida commendationis se aerem ventilabat. Aestati Californiensi praeclarae vero non repugnabat, sed iste aestus fervens cunctos fines excedebat. Ventus itineris validus, qui per fenestras apertas vehiculum perflabat, vix refrigerationem ferebat. Sine misericordia sol de caelo caeruleo ardebat, ubi ex aeternitate – ut homines putabant – nulla nubes apparuerat. Per dies recentes aestus crescebat et ultra crescere videbatur. Hoc die Jovis mensis Julii thermometrum 35 (triginta quinque) gradus Celsiusos monstrabat et nullus ventulus minimus a mare trans terram flabat. Consolatio unica erat, quod praedictio tempestatis tandem refrigerationem diebus proximis praedicaverat. Sed adhuc nihil de tempestatibus atque imbribus sentiri potuit. »Pittas distribuere posses, Petre. Vehiculum tuum est fornax volvens!« Dorso manus Robertus frontem sudatam abstersit. »Bene est, sed tuus *Scarabaeus* vero frigidus est. Casa glacie instructa mobilis, solum ex forma ...«

---

**os distortum n.** = *Fratze*; **pallidus, -a, -um** = *bleich, blaß*; **dulcia soccolata n. pl.** = *Brownies*; **glacies vanillata f.** = *Vanilleeis*; **notae** (v. nota = *der Marke*); **scrutarium n.** = *Schrottplatz*; **umbra, -ae f.** = *Schatten*; **in interiore** = *im Innern*; **gemens, gementis** = *stöhnend, seufzend*; **scida commendatio f.** = *Prospekt*; **ventilare** = *zufächeln*; **aestas Californienis f.** = *der kalifornische Sommer*; **ventus itineris m.** = *Fahrtwind*; **perflare** = *durchwehen*; **refrigeratio, -onis f.** = *Abkühlung*; **ex aeternitate** = *seit einer Ewigkeit*; **dies recentes m. pl.** = *die vergangenen Tage*; **dies Jovis m.** = *Donnerstag*; **thermometrum, -i n.** = *Thermometer*; **gradus Celsiusianus m.** = *Grad Celsius*; **ventulus, -i m.** = *Windhauch*; **consolatio, -onis f.** = *Trost*; **praedicaverat** (v. praedicare = *vorhersagen*); **imber, imbris m.** = *Regenschauer*; **pitta, -ae f.** = *Pizza*; **fornax, -acis f.** = *Backofen*; **sudatus, -a, -um** = *schweißstriefend*; **scarabaeus -i m.** = *Käfer (Automarke)*;